



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 251. Vtrùm mulier, hoc est Heua debuerit immediate produci à Deo ex
costa viri, & in adiutorium viri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

ossibus: at non negant prius formatum fuisse successiue corpus luteum hominis, quod solum æquiuocè erat humanum. In eodem sensu loquitur Sanctus Thomas hoc art. 4. qu. 91. in resp. ad 3. dicens corpus Adami non fuisse formatum prius tempore, quam creata fuerit anima, illique vnita, sed simul cum anima. Cum enim artic. 2. in resp. ad 9. admittat Angelos cooperatos fuisse proportionaliter, ac cooperabuntur vltimæ resurrectioni, colligendo pulueres, non negat materiam luteam fuisse motam localiter, & successiue.

QVÆSTIO CCLI.

Virum Mulier, hoc est Heuæ debuerit immediate produci à Deo ex coſta viri, & in adiutorium viri?

S. Thom. quæſt. 92. art. 1. 2. 3. 4.

Explicata productione viri, agit Sanctus Thomas quæſt. 92. de productione mulieris, hoc est Heuæ.

Quæritur ergo primo cum Sancto Thoma artic. 1. quæſt. 92. virum mulier in primæ productione debuerit produci in adiutorium viri?

Respondet affirmatiue. Probatur ex Scriptura, in qua Gen. 2. refertur Deus dixisse: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Aliqui dixerunt mulierem fuisse viro necessariam in adiutorium aliorum operum. At Sanctus Thomas docet mulierem, esse viro necessariam, non in adiutorium alicuius operis, sed in adiutorium generationis. Ratio est, quia ad omnia alia opera vir conuenientius potest adiuuari per alium virum, quam per mulierem: ergo mulier fuit viro necessaria, non vt adiuuaret ad alia opera, sed vt adiuuaret ad generationem filiorum, per quam species humana conseruaretur, & propagaretur.

2. Sed potest secundo quæri, quare cum in plantis, & in aliquibus animalibus imperfectis non detur distinctio sexus masculini à feminino, & masculi à femina, in animalibus perfectis, ac præsertim in homine detur talis distinctio?

Respondet Sanctus Thomas tres esse classes corporum viuensium. In prima classe sunt, quæ non habent virtutem actiuam generandi, sed generantur ab agentibus alterius speciei, cuiusmodi sunt quædam plantæ, & quædam animalia, quæ iuxta communem sententiam Philosophorum non generantur ex semine, sed virtute agentium cœlestium producantur ex materia disposita. In his viuens propriè non datur mas, neque femina. In secunda classe sunt, in quibus datur virtus generatiua, actiua, & passiuæ coniuncta in eodem indiuiduo, vt accidit in plantis,

quæ generant sibi simile ex semine. In tertia classe sunt animalia perfecta, in quibus mas est distinctus, & separatus à femina: nam, mas est, qui per semen generat sibi simile in altero: Femina est, in qua simile generatur ab altero. Ratio, quare in plantis virtus masculina, hoc est actiua generationis semper sit coniuncta virtuti femininæ, hoc est passiuæ generationis, in animalibus autem perfectis non semper sit coniuncta, est, quia in plantis nobilissima operatio vitalis est generatio; ergo plantæ debent semper habere virtutem actiuam coniunctam passiuæ ad exercendam suam nobilissimam, & finalem operationem. At animalia perfecta habent pro fine principali, non operationem vitalem generandi, sed operationes nobiliores sentiendi: ergo non debent habere virtutem masculinam, & actiuam semper coniunctam femininæ, & passiuæ generationis; per hanc enim coniunctionem impedirentur ob operationibus sensitiuis. Ad perfectè enim cognoscendum valdè conducit separatio maris à femina, vt patet ex eo, quod animalia tempore coitus imperfectissimè cognoscunt, vt autem perfectius cognoscant, debent separari. In animalibus igitur perfectis, non omni tempore sexus masculinus coniungitur feminino, sed solum tempore coitus, vt imaginemur per coitum sic fieri vnum ex mare, & femina, sicut in planta omni tempore coniungitur vis masculina, & feminina, etsi in quibusdam plus abundet vna harum, in quibusdam plus altera, vt loquitur Sanctus Thomas in corpore huius artic. 1. quæſt. 92. Addit Sanctus Thomas, quod quia homo non solum ordinatur ad opus vitæ sensitiuæ, quod est sentire, sed etiam ad nobilius opus vitæ intellectuæ, quod est intelligere, ideo in homine fuit maior ratio, vt virtus masculina distingueretur à feminina, & vt femina seorsim produceretur à mare, sed ita, vt possint coniungi ad commune opus generandi filios, ideoque post formationem mulieris Gen. 2. dicitur *Erunt duo in carne vna.* Ratio allata, propterquam cum in plantis virtus masculina sit coniuncta femininæ, in animalibus perfectis debeat esse separata, desumpta est ex Aristotele pluribus locis, ac præsertim lib. 1. de Generatione animalium, cap. 20. vbi paulo ante finem dicit. *Atque hæc omnia rectè à natura ita condita sunt. Plantarum enim substantia non aliud munus, nulla actio, nisi generatio feminis est, quod cum maris, & femina coitu efficitur, miscuit ea natura, indiscretumque sexum maris, ac femine plantarum generi tribuit &c. At animalis munus, non solum generare, quod commune omnium viuensium est, sed etiam cognitionis alicuius particeps vnumquodque est, aliud maioris, aliud minoris, aliud minimæ. Sensum etenim habent &c. Sed cum viuat etiam quod animal est necesse sit, cum fungi viuens munere opus est, tunc coeunt, & miscentur, & quasi planta efficiuntur.*

3. Quæritur tertio, quare cum femina sit imperfecta, ac quasi mas læsus, & occasionatus, vt dicit Aristotelis lib. 2. de generatione animal.

mal. cap. 3. propè finem, ideoque natura in generatione primo, & per se intendat marem, foeminam autem generet occasionaliter, & præter intentionem, quando non potest consequi perfectionem maris, tamen Deus in prima rerum institutione non solum produxit virum, sed etiam mulierem?

Respondeo cum Sancto Thoma hoc art. 1. quæst. 92. in resp. ad 1. naturam particularem in generatione per se intendere solum marem, foeminam autem producere occasionaliter, & præter intentionem: at naturam vniuersalem per se intendere, & producere etiam foeminam; & quia intentio naturæ vniuersalis est conformis intentioni diuinæ, à qua dependet, Deus per se intendit non solum marem, sed etiam foeminam, ideoque condendo, & instituendo naturam, debuit producere non solum virum, sed etiam mulierem. Explicatur. Mas, in quo præsertim est virtus actiua, per suam naturam particularem intendit producere sibi simile perfectum, ac proinde marem, foeminam autem generat præter intentionem, vel propter debilitatem virtutis actiue, vel propter aliquam materiæ indispotionem, vel propter actionem alicuius causæ extrinsecæ, puta ventorum australium, qui quia sunt valde humidi, reddunt materiam nimis humidam, ac proinde indispositam ad generationem maris, vt docet Aristoteles lib. 4. de generatione animalium, cap. 2. ergo mas per suam naturam particularem generat foeminam præter intentionem, & solum occasionaliter. At natura vniuersalis, ac Deus per se intendit omnia, quæ sunt necessaria ad generationem animalium, per quam propagentur, & conseruentur species; sed ad generationem animalium requiritur non solum mas, sed etiam foemina; ergo natura vniuersalis, ac Deus per se intendunt generationem non solum maris, sed etiam foeminæ, ideoque Deus condens naturam debuit producere non solum marem, sed etiam foeminam.

4. Quæritur quarto, vtrum mulier in statu innocentie, ac naturæ integræ deberet esse naturaliter subiecta viro, ac proinde Heua esset subiecta Adamo?

Respondeo cum Sancto Thoma in responsione ad 2. duplicem esse subiectionem. Prima est seruilis, per quam præsidens vritur subiecto ad vtilitatem præsentis. Secunda est subiectio oeconomica, vel ciuilis, ac politica, per quam qui præest imperat subiecto ad vtilitatem, & bonum ipsius subiecti. In statu innocentie, ac naturæ integræ non fuisset subiectio seruilis, quæ post peccatum introducta est in pœnam peccati; fuisset tamen subiectio oeconomica, ac politica, seu ciuilis. Ratio est, quia in statu innocentie debuisset dari bonum ordinis in humana multitudine, per quam minus sapientes gubernarentur à sapientioribus. Hinc sequitur, quod in statu innocentie, ac naturæ integræ mulier fuisset

subiecta viro subiectione non quidem seruili, sed oeconomica, quia naturaliter vir est sapientior muliere, ac proinde mulier debet gubernari à viro propter bonum ipsius mulieris.

5. Quæritur quinto, quare Deus produxerit Heuam, præuidens illam futuram Adamo occasionem peccandi.

Respondeo cum Sancto Thoma in resp. ad 3. quod si omnia, ex quibus homo sumpsit occasionem peccandi, Deus subtraxisset à mundo, remansisset vniuersum imperfectum: nec debuit bonum commune tolli, vt vitaretur particulare malum, præsertim cum Deus sit adeo potens, vt quodlibet malum possit ordinare in bonum, ac de facto malum peccati commissi à primis parentibus ordinaret ad bonum Incarnationis, vt explicabitur suo loco in tractatu de Incarnatione. Videri etiam possunt quæ de permissione peccatorum ex professo dicta sunt quæst. 52.

6. Quæritur sexto, vtrum conueniens fuerit, vt mulier formaretur ex viro, hoc est Heua ex Adamo, iuxta illud Ecclesiast. 17. Creauit ex ipso, scilicet Adamo, adiutorium simile sibi, hoc est Heuam.

Respondeo affirmatiue cum Sancto Thoma art. 2. quæst. 92. Afferit Sanctus Thomas quatuor rationes, propter quas licet in alijs animalibus femina non fuerit formata ex masculo, tamen fuit conueniens, vt in hominibus mulier formaretur ex viro. Prima ratio est. Homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei; sed Deus est principium totius vniuersi, & omnium rerum: ergo vt homo esset proportionaliter similis, debuit primus homo esse principium totius speciei humanæ, iuxta illud Apostoli actuum 17. Deus fecit ex vno omne genus hominum.

7. Secunda ratio est. In specie humana, cum mas, & femina matrimonio coniunguntur, debent conuiuere per totam vitam: hoc autem non accidit in alijs animalibus: ergo requiritur, vt vir valde diligat uxorem; sed ad hoc, vt Adam valde diligeret Heuam, multum conferebat, vt sciret illam formatam ex ipso Adamo: ergo conueniens fuit, vt Heua formaretur ex Adamo: & ideo Gen. 2. de Heua dicitur: De viro sumpta est, & subditur: Quam obrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.

8. Tertia ratio est. Vt docet Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 12. in specie humana mas, & femina coniunguntur, non solum propter filios generandos, vt in alijs animalibus, sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera propria viri, aliqua propria feminae, ac vir debet esse caput mulieris; ergo conueniens fuit, vt mulier formaretur ex viro, tanquam ex suo principio, & capite.

9. Quarta ratio mystica, & sacramentalis desumitur ex illis verbis Apostoli ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia; ergo Adam fuit figura Christi.

Christi, qui desponsauit Ecclesiam, ac proinde sicut Ecclesia processit ex Christo, ab eoque habuit principium, sic Heua debuit fieri ex Adamo, tanquam ex suo principio.

10. Quæritur sexto, quare cum natura res eiusdem speciei faciat ex eadem materia, Deus Adamum formauerit de limo terræ, Heuam autem, quæ erat eiusdem speciei cum Adamo, formauerit ex Adamo, ac proinde ex materia diuersa?

Respondet Sanctus Thomas in resp. ad 2. quod natura creata est determinata ad vnum, & habet determinatum modum operandi, ideoque res eiusdem speciei producit ex eadem materia. At Deus, qui habet virtutem infinitam, potest res eiusdem speciei facere ex materia etiam diuersa, ac de facto propter rationes allatas Adamum formauit de limo terræ, Heuam autem ex viro, hoc est ex Adamo.

11. Aduertit Sanctus Thomas, quod ex naturali generatione contrahitur quædam propinquitas impediens matrimonium, vt patet Leuit. 8. ideoque filia non potest matrimonium contrahere cum patre. At quia Heua processit ex Adamo, non per naturalem generationem, sed præter ordinem naturæ, ideo sicut non fuit filia Adam, sic non habuit impedimentum, propter quod non posset contrahere matrimonium cum Adamo.

12. Quæritur septimo, vtrum verè Heua fuerit formata ex costa Adam, vt videtur clarè docere Scriptura Gen. 2. dicens: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnā de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & edificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adamo, in mulierem?*

Respondeo Caietanum in Comm. gen: negare corpus Heuæ fuisse verè formatum ex costa Adæ, ac verba Genesis metaphorice interpretari. Molina in Tractatu de opere sex dierum quæst. 24. asserit alios etiam eandem docuisse sententiam, sed neminem nominat, ac Pererius lib. 4. in Gen. disput. de formatione Heuæ, dicit solum Caietanum hanc litem mouisse. Existimat ergo Caietanus Adamum, & Heuam simul tempore fuisse creatos, seu formatos de limo terræ, ac quæ dicuntur de formatione Heuæ ex costa Adam metaphoricè intelligenda. Explicando autem metaphoram dicit per ablationem costæ significatum fuisse, quod per uxorem diminutum est robur animi in viro: per hoc, quod mulier dicitur formata ex vna tantum costa, significari debilitatem mulieris: per hoc, quod Deus dicitur repleuisse carnem pro costa, significari, quod diminutio roboris in animo viri per uxorem compensatur fructu prolis.

13. Contra hanc opinionem dicendum cum communi Patrum, & Theologorum sententia, verba illa Scripturæ non esse intelligenda solum in sensu mystico, & metaphorico, sed etiam in sensu literalī, & proprio, itaut significetur verè Deum prius tempore

formasse Adamum de limo terræ, deinde immisisse soporem in Adam, tulisse vnā de costis eius, repleuisse carnem pro ea, & costam illam edificasse in mulierem.

14. Probaturnā narratio historica Scripturæ intelligenda est propriè, præsertim cū propriè intelligendā persuadēt cōtextus, alia loca Scripturæ, & autoritas cōmunis Patrum, Interpretum, & Theologorum, ac ipsius Ecclesiæ: sed hæc omnia persuadent narrationem, de qua agimus, intelligendam propriè: ergo Probaturn minor. Primo enim Moyses historicè refert productionem primorum hominum, præceptum illis impositum, eorumque peccatum, & pœnam: ergo sicut antecedentia de formatione Adam ex limo terræ, & consequentia de præcepto imposito, eiusque transgressione, & pœna, intelligenda sunt, non solum mysticè, ac metaphoricè, sed propriè, sic quæ dicuntur de formatione Heuæ ex costa Adam, intelligenda sunt propriè, ac non solum mysticè, & metaphoricè, negando illa esse vera in sensu proprio: alioquin, tota illa narratio posset negari in sensu proprio.

15. Secundo narrationem illam propriè intelligendam persuadent alia loca Scripturæ. Nam Sap. 10. dicitur. *Primus formatus est deo Pater orbis terrarum, cum solus esset factus:* & 1. ad Timoth. 2. *Adam prius formatus est, deinde Heua:* ergo Adam formatus est primus, & solus, ac proinde ante Heuam, & deinde formata est Heua, ac proinde Adam, & Heua non fuerunt simul formati, vt Caietanus asserit. Ecclesiast. 17. dicitur: *Deus creauit de terra hominem, & paulo post, creauit ex ipso adiutorium simile sibi:* ergo asserit Heuam creatam ex Adamo. Consonat Apostolus Aðor. 17. vbi de Deo loquens dicit, *creauit ex vno omne genus hominum:* ergo etiam Heua creata est ex Adamo, & 1. ad Corinth. 11. dicit, *Non vir ex muliere, sed mulier ex viro.*

16. Tertio omnes Patres, Interpretes Scripturæ, ac Theologi narrationem illam Genesios in sensu proprio intellexerunt, ac tradiderunt tamquam dogma certum, quod Heua formata fuerit ex costa Adam. Hieronymus in Comment. Epist. ad Philemonem, explicans illa verba: *Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Iesu, & omnes Sanctos eius, dicit: Credit quispiam in conditorem Deum. Non potest credere, nisi prius crediderit de Sanctis eius vera esse, quæ scripta sunt: Adam à Deo plasmatus: Heuam ex costa illius, & latere fabricatam: Henoch translatus &c.* ergo Hieronymus censet credendum vt certissimum dogma, quod Heua fabricata fuerit ex costa Adam. Epist. etiam 61. ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani, dicit: *Heuam in typo Ecclesiæ fuisse de costa viri edificatam.* Idem docent Chrysostomus homil. 17. in Gen. Augustinus lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 9 & 12. de Ciuit. cap. 21. & 23. Gregorius Homil. 6. in Ezechiel. & lib. 3. mo.

moralium, cap. 24. ac ceteri Patres, & interpretes explicantes locum illum Gen. de formatione Heuæ, & verba illa ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Idem docent Theologi cum Sancto Thoma art. 3. quæst. 92. & cum Magistro in 2. dist. 18.

17 Quarto Innoc. 3. cap. *gaudemus*, de divorcio, dicit: *Ab initio una costa in unam familiam est conuersa*; & Concilium Viennense in Clement. 1. de Summa Trinitate dicit, Ecclesiam formatam fuisse de latere Christi, sicut de latere primi hominis soporati Heua sibi in coniugium est formata.

18 Propter hæc fundamenta Alphonsus de Castro lib. 2. contra hæreses, Verbo *Adam* hæresi 6. opinionem hanc Caietani refert inter hæreses, eumque sequitur Prateolus agens de Caietano, licet vterque dicat se opinionem, non personam damnare, si quidem absque dubio credendum est Caietanum absque pertinacia errasse. Videri potest Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 2. & Castro, ac Prateolus locis citatis. Debet autem aduerti opinionem Caietani non rejici, in quantum verba illa explicat in sensu mystico, sed solum in quantum asserit illa non esse vera in sensu proprio, ac negat Heuam verè, & propriè formatam fuisse ex costa Adami.

19 Quæritur octauo, quare Deus Heuam formauerit de costa viri?

Respondet Sanctus Thomas art. 3. quæst. 92. afferendo duas rationes, propter quas Heua debuerit formari potius ex costa Adami, quam ex capite, vel pedibus, aut alia corporis parte. Prima ratio est. Inter mulierem, & virum debet dari socialis coniunctio, per quam neque mulier dominetur viro, neque sit feruilius subiecta viro; ergo ad significandum, quod mulier non debet dominari viro, non est facta ex capite viri: ad significandum, quod non debet feruilius esse subiecta, ac despecta, non est facta ex pedibus viri, sed ex parte quadam media, & cordi propinqua, quia debet à viro summopere diligere. Secunda ratio est: ex latere Christi in cruce mortui prodierunt Sacramenta figurata in sanguine, & aqua, per quæ Sacramenta Ecclesia est formata: ergo ad hoc significandum, conueniens fuit, ut Heua formaretur ex latere, & costa Adami.

20 Quæritur nono, vtrum costa illa, ex qua formata fuit Heua, fuerit vna ex costis corpori humano naturaliter conuenientibus, quæ dicuntur esse duodecim, vel fuerit costa ultra numerum connaturalem, puta tertiadecima?

Respondeo, quod ex difficultate respondendi huic quæstioni, Caietanus desumpsit primum suum argumentum ad probandum Heuam non fuisse verè formatam ex costa Adami. Sic igitur argumentatur. Si costa illa fuit ultra numerum costarum naturaliter conuenientium corpori humano, Adam fuit productus cum aliqua costa superflua, ac proinde cum corpore monstruoso, proportionaliter, ac est monstruosum corpus habens in

manu, sex digitos. Si verò costa illa fuit vna ex naturaliter conuenientibus corpori humano, Adam, ablata illa costa, remansit mutilus, sicut est mutilus homo carens vno ex quinque digitis naturaliter conuenientibus manui, Sanctus Thomas cum hac quæst. 92. art. 3. proposuisset hoc argumentum secundo loco, in resp. ad 2. responderet costam illam fuisse ultra numerum costarum naturaliter debitarum corpori humano, sed non fuisse Adamo superfluum, nec corpus Adami fuisse monstruosum, quia spectabat ad perfectionem Adami, in quantum erat principium totius speciei humanæ. Explicat exemplo seminis, quod acutè definitur à Galeno *superfluum necessarium*, quia est superfluum in individuo, sed necessarium ad speciem. Hinc sequitur, quod sicut animal ex eo, quod habeat semen, non est monstruosum, sic Adam ex eo, quod haberet costam supra numerum aliarum costarum, non habebat corpus monstruosum; & sicut animal, emissio semine, non remanet mutilum, sic Adam post ablatam illam costam non remansit mutilus. Addit Sanctus Thomas, quod sicut semen, licet aliquo pacto pertineat ad perfectionem generantis, in quantum generans debet posse producere sibi simile, separatur naturaliter sine dolore, imò cum delectatione; sic costa illa, licet pertineret ad perfectionem Adami, in quantum erat principium totius speciei, potuit virtute diuina ab Adamo separari sine vlllo dolore. Hanc responsionem Sancti Thomæ communius afferunt Theologi, eamque defendit Abulensis Gen. 13. quæst. 393. nec non Lyrannus, & plures alij.

21 At Catharinus in cap. 2. Genesis existimat costam illam fuisse vnam ex numero costarum naturaliter conuenientium corpori humano, & in hanc opinionem propendit Pererius. Dum opponitur, quod corpus Adami per ablationem illius costæ remansisset mutilum, respondent Deum non solum carnem, sed etiam aliam costam restituisse. Scriptura enim dicens Deum repleuisse carnem pro costa ablata, non negat cum carne repleuisse, etiam costam, sicut dum dicit Deum tulisse vnam ex costis Adæ, eamque edificasse in mulierem, non negat cum costa tulisse etiam aliquid carnis, ut suadetur ex eo, quod Adam de Heua dixit Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, significans ossa Heuæ facta fuisse ex ossibus suis, hoc est ex costa, & carnem Heuæ ex carne sua. Vtraque responsio est probabilis, sed probabilior videtur prima desumpta ex S. Thoma.

22 Quæritur decimo, quo pacto ex costa Adami multo minori fieri potuerit corpus Heuæ multo maius?

Respondeo, quod ex hac difficultate, quam primo loco proponit Sanctus Thomas hoc art. 4. quæst. 92. desumit Caietanus aliud argumentum ad probandum corpus Heuæ non fuisse factum ex costa Adæ. Primo aliqui respondent.

X x x x

pon.

pendent ex costa Adami sine additione alterius materiæ potuisse fieri Heuam, multiplicando per diuinam potentiam materiam illius costæ, eo pacto, qua Christus Matth. 14. quinque panes multiplicando, satiavit quinque millia hominum. Hanc sententiam docuit Hugo Victorinus lib. de Sacram. p. 6. cap. 26. dicens. *De sola illius costæ substantia sine omni extrinseco addito amento per diuinam potentiam in se ipsam multiplicata corpus Heuæ factum est, eumque sequitur Magister in 2. dist. 18. cap. 4. ac Durandus eadem dist. quest. 1. ac Gabriel ibidem quest. 3. problematice defendit. Alensis autem 2. p. quest. 58. memb. 4. Henricus Quodlib. 7. quest. 9. Agidius ibidem, art. 4. admittunt hunc modum ut possibilem. At Sanctus Thomas hac quest. 92. art. ad 1. rejicit hunc modum ut omnino impossibilem. Ratio est, quia repugnat, ut materia multiplicetur substantialiter sine additione alterius materiæ: ergo si non addita fuit alia materia, non multiplicata fuit substantialiter, sed solum accidentaliter, puta illam rarefaciendo, ita ut eadem esset sub maioribus dimensionibus, & occuparet maius spatium, siquidem rarefactio ex Aristotele 4. physic. t. 84. consistit in hoc, quod materia ponatur sub maioribus dimensionibus; vel illam replicando, ita ut eadem materia costæ esset in pluribus partibus corporis Heuæ æqualibus ipsi costæ. Quia verò uit inconueniens, ut corpus Heuæ esset rarissimum, vel constaret ex materia pluries replicata, ideo Sanctus Thomas dicit materiam costæ fuisse multiplicatam per additionem nouæ materiæ, vel illam materiam additam creando, quod probabilius est, vel per conuersionem, conuertendo nimirum aliquod aliud corpus, puta aerem propinquum in costam, ac sic costam multiplicando, ex eaque Heuam edificando. Proportionali modo Christus quinque panes multiplicauit per additionem materiæ, vel de nouo creatæ, vel in panes illos conuertendo aliquod aliud corpus, puta aerem propinquum. Ideo S. Augustinus Tractat. 24. in Ioannem dicit. *Vnde multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicauit quinque panes.**

23 Opponunt: materia addita fuit multo maior, quam costa: ergo corpus Heuæ potius dici deberet factum fuisse ex materia addita, quam ex costa.

Respondet Sanctus Thomas, quod quia per additionem illius materiæ costa fuit aucta, & quodammodo multiplicata, corpus Heuæ factum fuit ex costa aucta, & multiplicata, proportionaliter, ac quia per additionem materiæ quinque panes fuerunt aucti, & multiplicati, quinque millia hominum fuerunt saturata ex quinque panibus auctis, ac multiplicatis. Verba Sancti Thomæ in responsione ad 1. sunt. *Dicitur tamen vel ex quinque panibus turbas pauisse, vel ex costa mulierem formasse, quia additio facta est ad materiam præexistentem costæ, vel panum.*

24 Queritur vnde decimo, vtrum somnus, seu sopor, quem Deus dicitur immisisse in Adam, fuerit somnus proprius, an metaphoricus, & qualis fuerit, materialis, an potius spiritualis, hoc est quædam ecstasis?

Respondeo cum communi sententia Patrum, & Theologorum contra Caetanum, fuisse somnum proprium, quo Adam proprie obdormiuit. Scriptura enim in tota hac narratione proprie est intelligenda. Et quidem Chrysostomus Homil. 13. in Gen. & Epiphanius heresi 48. existimant somnum illum fuisse corporalem, quem Deus immisisse dicitur, quia in Adamo recentè creato nulla tunc erat materialis causa talis somni profundissimi, quem dicti Patres dicunt fuisse immisum, ne Adam in ablatione costæ doleret. At alij Patres existimant somnum illum fuisse spirituale, hoc est altissimam quandam contemplationem, qua passus fuerit ecstasim, & alienationem à sensibus, ac reuelata fuerit illi Incarnatio, per quam Verbum vnitum est carni, ac Christus Ecclesiæ, ideoque expergefactus illam prophetauit dicens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea &c.* quibus verbis prophetatam fuisse coniunctionem Christi cum Ecclesiâ, testatur Apostolus ad Ephesios 5. dum relatis illis verbis, subdit: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesiâ.* Somnum illum Adami fuisse spirituale, hoc est ecstasim docuerunt Tertullianus lib. de anima cap. 21. vbi soporem illum vocat spirituale, excessum, quemdam mentis & quandam amentiam, & cap. 45. subdit: *Hanc ecstasim dicimus, & excessum sensus, & amentie instar. Sic & in primordio somnus cum ecstasi delicatus;* Augustinus lib. 2. de Gen. contra Manichæos cap. 12. vbi etiam rationem affert, quare vocetur somnus, dicens: *nam secedere ab istis sensibilibus rebus interiori intelligentia quasi obdormiscere est.* Idem docet lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 29. & tract. 9. in Ioann. post medium. Consentit Rupertus lib. 2. in Gen. cap. 34. eandemque sententiam indicat Hieronymus in Quest. Hebraic. in Gen. 2. vbi pro sopore legit ecstasim, & mentis excessum.

25 Existimo cum Suario lib. 3. de opere sex dierum, cap. 2. num. 18. vtramque sententiam posse conciliari, dicendo, quod Adam, & somno corporali obdormierit, & dormiens eleuatus sit ad quandam contemplationem, in qua viderit Deum costam auferentem, ex eaque mulierem edificantem, ac intellexerit mysterium, nimirum quod Christo per mortem in cruce obdormiente, ex eius latere lancea perforato per sacramenta sanguinis, & aquæ, hoc est baptismi præsertim, & Eucharistiæ, formanda esset Ecclesiâ Christi sponsa; Ideoque excitatus, id, quod per somnum viderat, prophetauit, dicens: *Hoc nunc os &c.* Somnus porrò corporalis non solum non impedit diuinas reuelationes, sed quodammodo reddit mentem liberiores ad reue-

revelationes recipiendas, ut docet Sanctus Thomas quæst. 12. de Verit. art. 3. ad 2. & 2. quæst. 172. art. 1. ad 1. & 2.

26 Quæritur decimo, vtrum Deus abstulerit ab Adamo nudam costam sine carne, an costam cum aliqua carne, ac proinde Heuam ædificauerit, non solum ex costa, sed etiam ex carne Adami?

Respondeo duas esse sententias. Prima communior Interpretum Scripturæ, & Theologorum, docet Deum abstulisse costam simul cum carne. Sequuntur hanc sententiam ex Interpretibus in Gen. Abulensis, Oleaster, Pererius, Catherinus, & alij: ex Scholasticis Sanctus Bonaventura in 2. distint. 18. art. 1. quæst. 1. ad ultimum, Alensis. 2. p. qu. 85. memb. 2. ac ex nostris Molina Tractatu de opere sex dierum, disp. 21. Videtur eandem supponere Sanctus Thomas 3. p. quæst. 31. art. 5. ad 2. dicens, quod Adam, quia institutus fuerat ut quoddam principium naturæ humanæ, habebat in suo corpore aliquid carnis, & ossis, quod non pertineret ad integritatem personalem illius, sed solum in quantum erat naturæ humanæ principium, & de tali carne, & osse formata est mulier, absque viri detrimento. Fundamentum desumitur ex illis verbis Adami Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, quibus insinuat, quod sicut ossa Heuæ formata fuerant ex osse, hoc est ex costa illi ablata, sic caro Heuæ formata fuerat ex carne illi ablata.

27 Secunda sententia Augustini tract. 15. in Ioannem docet costam sine carne fuisse ablatam Adamo, atque ex sola costa fuisse formatam Heuam. Verba Augustini sunt: *Non detraxit carnem, unde faceret mulierem, sed detraxit os, & detractio osse, formata est mulier, & in loco ossis caro suppleta est*. Vtraque sententia est probabilis, sed prior videtur magis consonare verbis illis Adami: *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, ut diximus num. 21.

28 Quæritur decimo tertio, vtrum corpus Heuæ fuerit immediatè formatum à solo Deo.

Respondet Sanctus Thomas art. 4. quæst. 92. corpus Heuæ formatione substantiali, quæ formatum est ex costa Adami, formatum fuisse à solo Deo. Ratio est, quia natura, & agentia naturalia, ac creata non possunt res determinatæ speciei generare, ac producere, nisi ex determinata materia; sed materia determinata, ex qua debet generari corpus humanum, est semen humanum viri, & mulieris: ergo corpus humanum ab agentibus naturalibus non potest generari, nisi ex semine viri, & mulieris: sed corpus Heuæ formatum fuit ex costa Adami: ergo ex tali materia factum fuit à solo Deo, non concurrentibus Angelis ad illam formationem, qua formabatur ex costa Adami. Si verò quæretur, vtrum angeli præstiterint aliquod ministerium ad formationem Heuæ, afferendo materiam, ex qua costâ multiplicaretur, respon-

dendum est proportionalitèr ad ea, quæ de ministerio angelorum in formatione Adami ex limo terræ dicta sunt quæst. 251. num. 12. Tota hæc doctrina desumpta est ex S. Augustino lib. 9. de Gen. ad litteram, cap. 15. vbi paulo post initium dicit. *Aliter ergo quæritur, quemadmodum soporatus sit Adam, & istaque eius sine ullo doloris sensu à corporis compage detracta sit*. Hac autem fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri. Formare autem, vel ædificare costam, ut mulier esset, usque adeo non potuit nisi Deus, à quo vniuersa natura subsistit, ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius carnis successit locum, ab Angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terræ puluere: non quod nulla sit Angelorum opera, ut aliquid creetur, sed non ideo creatores sunt, sicut nec agricolæ creatores segetum, atque arborum dicimus. Et infra prope finem capitis. *Quale igitur ministerium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione quis audeat affirmare? Certissime tamen dixerim supplementum illud carnis in costa locum, ipsiusque femine corpus, & animam, conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes, & quidquid erat, quo illa creatura, & homo, & femina erat, non nisi ex illo opere Dei factum, quod Deus non per Angelos, sed per semetipsum operatus est*.

29 Quæritur quartodecimo, vtrum primi homines perfectissima corpora in creatione acceperint?

Respondeo affirmatiuè. Ut enim dicitur Deuter. 32. *Dei perfecta sunt opera*: & Gen. 2. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; ergo si cætera, quæ Deus fecit propter hominem, fecit perfecta, & valde bona, à fortiori fecit corpora primorum hominum perfecta, & valde bona. Primò igitur homines creati sunt perfecti quoad omnium membrorum integritatem, cum omnibus partibus organicis, ac sensibus, tum externis, tum internis perfectis, sine ullo defectu, & impedimento ad suas operationes exercendas. Hinc reicitur error quorundam, qui ut refert Philastrius hæresi 66. & Castro, verbo Adam, Hæresi 5. dixerunt primos homines productos fuisse, clausis oculis, ac sensu visus caruisse, ideoque Genes. 3. dici, quod post peccatum *aperti sunt oculi amborum*. Constat enim ex Gen. 3. primos homines ante peccatum habuisse sensum vitæ, cum de muliere dicitur: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*. Verbis igitur illis, *Aperti sunt oculi amborum*, non significatur primos parentes ante peccatum fuisse cæcos, & habuisse oculos clausos, sed ut communiter explicant Patres, significatur illos ante peccatum nihil in sua nuditate vidisse, de quo erubescerent, cum caro esset perfecta obediens rationi; post peccatum verò apertos illis oculos fuisse, ut viderent rebellionem carnis, de qua erubescerent. Ideo Alcuinus quæst. 59. in Gen. dicit: *Nihil enim putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum*: & S. Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 17. dicit.

X x x x 2

Neque

Neque enim cæci creati erant, ut imperitum vulgus, quam tamen difficile est assignare, opinatur.

30. Dicendum secundo cum Magistro in 2. dist. 18. & Scholasticis communiter, quibus consonat Sanctus Thomas 1. p. quæst. 91. art. 3. & 4. primos homines creatos fuisse in eo statu, qui conuenit hominibus in perfecta ætate: & quia homines in perfecta ætate iam obtinent perfectum corporis, & virium augmentum, ideo creati fuerunt cum perfecta magnitudine, & perfectis viribus. Probari potest ex Augustino, qui lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 13. affirmat Deum potuisse hominem in hoc statu creare, & addit Deum id fecisse, quod omnipotentem, & sapientem posse, ac facere congruebat; sed congruebat Deum creare hominem in hoc statu perfecto: ergo. Idem expressius docet lib. 1. de Peccat. meritis, & remissione, cap. 37. ubi id confirmat exemplo aliorum animalium, quæ producta sunt in statu perfecto.

31. Non conueniunt auctores in assignando, quamnam ætate homines initio mundi essent in perfecto statu magnitudinis, ac virium. Caietanus existimat ætatem illam fuisse annorum 60. Pererius 50. Alij dicunt ætatem perfectam fuisse 34. circiter annorum, quæ fuit ætas Christi, quæ etiam dicunt Sanctos surrecturos, iuxta illud Apostoli ad Ephesios 4. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ideo Sanctus Hieronymus epist. 27. ad Eustochium, quæ est Epitaphium Paulæ, circa finem dicit, *Nos esse surrecturos in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi:* & addit: *in qua & Adam Iudei conditum autumant, & hanc opinionem Hieronymus non solum refert, sed approbat, ut notat Marianus Victorius: & hæc opinio videtur probabilior.*

31. Rursus non conueniunt auctores in explicando, quamnam initio mundi esset statura perfecta, in qua proinde creati fuerint primi parentes. Moses Barcephas in lib. de Paradiso, qui habetur to. 1. Bibliothecæ Patrum, refert aliquos dixisse primos homines fuisse tantæ magnitudinis, ut ex terra Paradiso propinqua in Syriam per mare pedibus transierint, quod ex Athanasio, & Cyrillo confirmare nitentur, apud quos Patres nullum huius fabulæ vestigium inuenitur. Ioannes Lucidus lib. 1. de Emendatione temporum, cap. 4. docet Adamum fuisse Gigantem maximum. Reijciuntur. Nam primi parentes creati fuerunt à Deo in illa statura, quæ maximè est conueniens naturæ humanæ, & maximè conducit ad pulchritudinem, & ad exercendas operationes humanas; sed sicut paruitas pumilionum per defectum, sic proceritas gigantum per excessum, parum est proportionata homini, ac non conducit ad pulchritudinem, & ad operationes humanas exercendas, sed potius illas impedit, & facit, ut homo sit monstrosus; ergo. Dicendum igitur primos parentes creatos fuisse cum statura maximè proportionata homini, sine excessu, ac defe-

32. Quæritur demum, utrum Adam, & Eva creati fuerint sexta die?

Respondeo affirmatiuè. Probatum ex Scriptura, quæ sexta die post formationem aliorum animalium terrestrium narrat formationem Adam, & Heuæ. Confirmatur: nam Gen. 2. dicitur Deus requieuisse ab omni opere, quod patrarat. Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 4. plures rationes affert ex Patribus, propter quas Deus productionem hominis in vltimum locum reseruauit. Prima est, quia cum homo constet ex spiritu, & corpore, fuit conueniens, ut prius crearentur substantiæ purè spirituales, ac purè corporeæ, deinde substantia humana composita ex spirituali, & corporea. Hæc ratio ex Concilio Lateranen. sub Innoc. III. insinuat cap. Firmum de Summa Trinitate per illa verba: *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spirituales, & corpoream, deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Videtur verò hæc ratio desumpta ex Nazianzeno. orat. 38. de Christi natiuitate. Secunda ratio est, quam ex eodem Nazianzeno affert Damascenus lib. 2. de fide, cap. 12. Cum enim Deus creauerit hominem, eorum, quæ in terra sunt Regem, oportebat, ut regis palatium prius construeretur, in quo postea rex introduceretur, ut loquitur Nazianzenus orat. 43. Ex professo hoc punctum tractat Ambrosius enarrat. 1. ad Hontianum.

QVAESTIO CCLII.

Virum imago Dei inueniatur in quolibet homine, non autem in creaturis irrationalibus? & utrum Angeli sint magis ad imaginem Dei, quam homines?

S. Thom. quæst. 93. art. 1. 2. 3. 4.

1. **Q**uia gen. 2. primi homines dicuntur fuisse facti ad imaginem, & similitudinem Dei, S. Thomas postquam q. 91. & 92. egit de productione primorum hominum, q. 93. explicat, quo pacto in hominibus inueniatur imago Dei, ac proinde sint facti ad imaginem, & similitudinem Dei?

2. Quæritur ergo primo, an, & quo pacto imago differat à similitudine?

Respondet Sanctus Thomas art. 1. huius quæstionis 93. quod sicut S. Augustinus dicit lib. 83. quæst. q. 51. *ubi est imago, continuo est & similitudo; sed ubi est similitudo, non continuo est imago.* Similitudo ergo comparatur ad imaginem, sicut genus ad speciem, puta sicut animal ad hominem: et sicut genus ita est de essentia speciei, ut species supra genus addat differentiam, eo pacto, quo homo supra animal addit rationalitatem, sic similitudo ita est de